



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XXIX. Rusticus qui, nimia'ingluuie ad rem ualde auidus erat,
tandem aeternum supplicium effugit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

MIRAC. VIRG. XXIX.

Rusticus qui, nimia ingluvie ad rem ualde auidus erat, tandem aeternum supplicium effugit.

TAm auido, & ad re atteto ingenio rusticus erat ut du praedia, & agros suos araret, semper occuparet aliquam uicini partem; & saepissime etiam agrorum terminos reuelleret. Ab illo tamen nunquam Virginis memoria discedebat; quam pie, & religiosè salutare consueuerat. Die suum obiit, & generis hominum hostes quibus explorata erat eius uita, miseri animae anxie inhiabant. Sed Angelorum praesidio statim munitus est. Aduersarij innumerabilia, & infinita poenè rustici delicta singulatim enumerauerunt ob quae ad se illius animum pertinere, absque ulla controuersia, aut iudicio, dicebant. Ipsum Angeli tuebantur, ab eo saepe Virginem salutatam fuisse, attestantes. Quare nefariae belluae his auditis sese in fugam dedere. Anima uero illa ex hostium manibus erepta infernas poenas, Christi misericordia, ob immortalia sanctissimae Virginis merita effugit. Neque uero quicumque, ea spe adductus, ut si paullulum respuerit, eius noxae dimittantur, credat sibi aliena licere rapere. etenim, quamuis Deo placuerit, secretis, & occultis eius iudicijs, ob Virginis pietatem saepe huiusmodi bonis plurimos afficere; nemo tamen in mala prolatabatur, aut in ijs sit pertinax. Saepe enim euenit, ut qui plurima etiam bona fecerunt, ob unius peccati contumaciam, aeternis poenis addicti fuerint.